

ACTIONE ORATORIA

DISSERTATIONEM ALTERAM

CONSENSUS

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

PRO FACVLTATE LEGENDI

PLACIDO ERUDITORVM EXAMINI

S V B I L C I T

P R A E S E S

M. GODOFREDVS IACOBVS SCHMID

DEFENSES

C V M R E S P O N D E N T E

JOAN. GOTTLÖBIO HENRICO WIEK

DOMITIO MISN. REV MINIST. GAND.

D. XIII. FEBR. MDCCCLXXXVI.

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

ACAD. A TYPIS

6

1776

ACTIOINE ORATOIÆ

GRATIA P. I. T. M. C. S. C. A. M.



D E

A C T I O N E O R A T O R I A

COM MENT. ALTERA.

§. I.

Pauca igitur, parte praecedenti, plura cum iam alii artis huius peritiores monuissent, de necessitate xtilitateque actionis oratoriae ita praefati, ut postulare temporis nostri ratio videbatur, nunc ad rem ipsam proprius deueniamus, et, quantum pro scriptioris huius angustiis fieri poterit, illius naturam atque indolem veram declarare, inuentis praceptis positisque studeamus. Quod dum agimus, rem adgredimur arduam sane atque difficultem, et momenti, quam videri nonnullis initio possit, multo maioris. Vocis enim gestuumque moderationem, omnemque exterioris eloquentiae formam, quae quibusdam videtur non nisi voce viua tradi exprimique posse, verbis explicare conari, ad viriusque rei expressam quandam imaginem

A 2

exhi-



exhibendam, quid hoc aliud est, quam facere ex legente quasi
audientem velle, ut, qui legat huius eloquentiae formam,
suis coram oculis, intueatur: quod in se quodammodo fieri
non posse putes, omnino saltem difficultimum censeas, quip-
pe naturae magis, quam artis opus. Quam eandem ob causam
factum est, ut, ante Ciceronem, rhetorum Latinorum principem,
et artis praecceptis instructum, et ipso usu edoctum, a veteri-
bus hac de re, quam quidem plurimi faciebant, cuiusue
laude tam mirifice excellebant, nihil habeamus integrum, nihil
perfectum, quod quidem sufficiat ad plenam artis intelligentiam.
Quamvis autem hanc viam ante nos plures sint studio-
fius ingressi, eiusque latebras excusserint, tamen, quod pro
temporis ratione nobis propositum, et studiorum commun-
ium causa necessarium summo opere fuit; praestari posse
non omnino desperauimus, ut rem vniuersam, litteris expli-
catam, retractemus, illustremus, ornemus, commendemus,
operamque nostram sic collocatam, rei satis intelligentibus,
aequis et eruditis viris probemus. Quo vero modo id a nobis
factum sit, et an satis etiam bene, tam res ipsa doceat, quam
hi, si velint, iudicent, et exiguis, siquidem non displicerint
omnino, conatibus nostris faueant, rogo.

§. II.

Antequam vero ad rem ipsam proprius nos accingimus,
praemittenda quaedam videntur in genere, quae faciant ad
pleniorem huius rei intellectum. Si nulli sensus additi essent
et quasi affixi animis nostris, veritatem ut intellegenter arri-
perentque satis moti, non nisi nuda eius expositione opus fo-
ret. Iis vero, ad cognoscendum, ut instrumentis, praediti,
quorum ope insignem sibi idearum seu imaginum partem
forment,

forment, idque pro modo atque vi rerum extra se positarum, mente conceptarum; quibus illi ut recte moueantur, hae quasi corpore quodam induitae adpareant, necessarium quam maxime est. In quo omnis prioris prolusionis nostrae arx erat praesidiumque. Praeterea adfectuum animi vicissitudine tantum sit, omniumque mentis perceptionum imaginumque tam multiplex coloris varietas, qui quidem vel maior, vel minor ex hac ipsa rerum diversitate oritur, et earum inter se discrimina, et singularum indolem efficit; factum est, ut homines res eas, quae proponunt, vocibus, noua iungent vocis^{a)} gestuumque signa, quae, ut intellectum verba, sensus adficiant suauiter, rebus quandam quasi vitam inspirent, auditorem secum quasi auferant, tum vero faciant etiam ad veram vocum significacionem clarius exprimendam, omnemque ambiguitatem expellendam. Quae quidem universae vocis gestuumque mutationes id efficiunt, quod uno, actionis oratoriae, pronuntiationis laxius acceptae, aut exterioris eloquentiae, nomine comprehendere solemus, duce Cicerone, de inuentione I. 7. pronuntiatio est, e rerum et verborum dignitate, vocis et corporis moderatio.

§. III.

Cuius artis ideo partes duae constituuntur, quarum altera, a voce, pronuntiatio, strictius sumpta, altera, a motu corporis, actio dicitur; ita quidem, ut pronuntiatio sit apta

A 3

vocis

a) Cic. ad Brut. c. 17. Vocis mutationes totidem sunt, quot animorum, qui maxime voce commouentur. — Dicerem etiam de gestu, cum quo iunetus est vultus, quibus omnibus dici vix potest, quantum interstet, quemadmodum viatur orator. Nam et infan-

tes actionis dignitate eloquentiae saepe fructum tulerunt, et diserti deformitate agendi multi infantes putati sunt, ut non sine causa Demosthenes triebuerit et primas, et secundas, et tertias actioni.



vocis conformatio, *actio* vero significet vultus, et gestus, et corporis totius moderationem arti conuenientem. Quae quoque ambae eloquentiae exterioris partes *actionis*^{b)} nomine generatim appellantur, voce a theatro sumpta, quod *actio* histriorum, oratoriae cognata, hanc saepius adiungit, quamvis in multis rebus diversa. Cicero ad Brut. c. 17. vocat hanc actionem oratoriam, quasi corporis quandam eloquentiam, cum constat e voce sique motu, id est, e gestuum mutationibus vultusque. Hae sunt, per quae, velut corporis instrumenta, omnis ad animum penetras adfectus, mentisque nostrae perceptiones imaginesque ad alios, quos docere volamus, pariter transeunt. Quorum alterum oculos, alterum aures mouet, qui quidem sensus sunt, quibus utimur ad ideas nostras cum naturis aliis, nobiscum vnius eiusdemque conditionis, communicandas. Riccoboni est recentiorum quidam eloquentiae doctor, qui actionem oratoriam non incommode exponit per gestum, cum quo iungatur vultus et vocis moderatio, ita ut omnem orationis vim eiusque singularium cogitationum satis apte significemus.

§. IV.

b) Eodem pertinet vox ὑπέρεξις, quae deducta ab histriis, in scholes oratorum, ac forum translate est, neque simulationem pietatis significat, sicut in usu sanctioris disciplinae sed alienam personam assumptam. Aristoteles eadem voce utitur, qui, ut philosophorum, ita, rhetorum princeps in praecolla illa, neque unquam satis laudanda, rhetorica, totam hanc partem omisit, cum, quod, eam arte difficulter tradi posse, existimat, et naturae magis quam artis opus puta-

ret, φύσεως, ut ait, τὸ ὑπερεπίκος ἔνεσις καὶ στριγότης, principiis lib. III. tumetiam de hac arte ad suum usque tempus nihil fere, praeter quam a Trajymacho, rhetorum tum nobilissimo, qui rem ex parte tractarat, scriptum fuit, quod tamen ad plenam artis intelligentiam non sufficisse videtur; at idem rem tamen magni aestimavit, et arti huic maximam vim tribuit, quippe quam terius eloquentiae partem statuit ibidem, Τέλος δὲ τοτοῦ, οὐ δύομον ξενι μετέσθη, τα περι τὴν ἐργασίαν.

§. IV.

Inde sequitur, ut actio oratoria idem fere praefitet rebus exprimendis, quod valeat lux in tabulis pictis et colorum illustratio: harum enim mirifice auger premium, venustatemque iis addit haud mediocrem^c). Quae si efficere debet, rebus ipsis respondeat accurate, easque, ut par est, et ut vere sunt, exhibeat, ideoque neque grauiores, neque leuiores, reddat, ut uno dicam, a natura duce recedat nunquam necesse est^d). Omnis enim, ut Cicero ait, motus animi suum quendam a natura habet vultum, et sonum et gestum, L. III. d. orat.

c. 57.

§. V.

Naturam igitur suumque ingenium sequatur orator semper oportet. Ad grauitatem si inclinat animus paulo senior, non bene mollem adfectabit lenemque actionis speciem. Sin hilarioris est et alacrioris indolis, non facile formabit se ad severitatis leges. Si quem multo humore tardiorem fixit natura; si incitatum, si laetum, si tristem, ducem semper naturam esse sequendam, sciat, neque ullo modo vim ei inferendam. Eius autem, ut in ceteris eloquentiae omnibus, praeserim hac in parte ratio est; qua quidem non rudi, sed arte emendata, perpolita, subleuata, vtendum semper est duce atque magistra^e). Naturae quidem partes sunt potiores, haec enim

notas

c) Cic. de Or. L. I. C. 56. Aditioni pri-
mas dedisse dicitur Demosthenes, cum
rogaretur, quid in dicendo esset pri-
mus, huic secundus, huic tertius.
Deinde, hec eo dico pluribus, quod
genus hoc totum oratores, qui sunt
veritatis ipsius actores, reliquerunt.

cedit, ut delectet, tamen fide caret.
Erasm. in Eccles. l. III.

e) In his optimum est naturam se-
qui, sed adhibita cura, ut, si quid ea
habent vitii, aut si quid prava imita-
tio et usus adiutoriter, corrigatur; si
minus, ad ingens illud Demosthenis
speculum, certe ad liberi amici iudi-
cium, Ibidem.

d) Quicquid notabiliter a natura re-

¶ ¶ ¶

notas affectionum animis nostris insculpsit, et conuenientem
vnicuique motum tribuit; nihil tamen minus in illa com-
mendanda atque audienda cautionis iam dictae ratio diligenter
habenda est. Naturam solam, eamque incultam ducem
sequimur non satis rato ac plene, huic enim sibi relictae aut
deest aliquid, aut abundat, aut vitio laborat, quod arte ad-
dendum, vel remouendum vel corrigendum studio est.
Quamuis naturam ad dicendum haberet eximiam, mediocreis
admodum tamen orator habendus esset, qui nec dum cul-
tae obsequi vellet soli, nullis adhibitis, ad limandam eam,
praeceptis. Similis habenda quasi campo est ferrilissimo opu-
moque, qui, nisi colatur sedulo, sterilis iacet, similis agro,
ex quo praeter bonas vilesque herbas totidem fere nascuntur
immature, luxuriantesque, quibus illae facile, nisi diligentia
accedat culturaque, suffocantur. Naturam igitur ante omnia
spectandam, vt in omnibus humanitatis studiis, ita praefer-
tim hic retinendam si statuimus, eam ratione conformatio-
neque doctrinae volumus affidue iuuari. Ex quo adparet, quam
rekte Cicero iudicauerit, dum ait, de Orat. III. L. c. 57. *sine*
dubio in omni re vincit imitationem veritas: sed et si satis in actioni
efficeret ipsa per se, arte profecto non egeremus, quae nihil aliud
est, nisi adiumentum veritatis, et naturae supplementum.

§. VI.

Enimuero affectibus transuersi qui rapiuntur, quanta vehe-
mentia ducantur, quantoque impetu, quis est, qui nesciat, eorum
signa contemplatus, vt omnem fere modum excedant, et gestus
vultusque exhibeant tam feroce tamque deformes, vt offendant
magis, quam placeant, et omnem quasi humanitatis sensum
auerant. In quo fortassis deprehendimus id, quod antiquioris elo-
quentiae cum nostra comparatae efficiebat vim contentionem-
que

que longe maiorem^{f)} Et, quo forte melius efficaciusque naturam exprimerent, huius gestus motusque vehementius agebant, ut e. g. pedes supplodebant, frontem fricabant, et s. p. In ipso Cicerone exemplum oratoris^{g)} propositum reperimus, qui cum causam diceret publice in foro, pro senatore aliquo, abrupto sermone, rei dilacerabat tunicam, eiusque in adspicuum iudicum proferebat vulnera, ob rem publicam accepta. Quanti consecuti id clamores sint, intellectu facile est. Nihil tamen reperit in eo tum Cicero, quod indignum oratoris esset munere; quid autem putas nostris foris, si quis forte ita agere vellet, eveneruntur? Quid iudicaturi essent nostri homines, qui hac in re, ut in tora eloquentia, haud parum delicati sunt, nec id sine causa, sed suo quodam iure, pro temporum morumque varietate?

§. VII.

Arti semper naturam esse coniungendam; nec vnuquam hanc, nisi ex illius praeceptis, imitandam, praesertim ex eo patet, quod soluta et intemperans eius imitatio multis in rebus contra decus foret oratoris, et omnem adeo honestatem. Sic apertum est, ut his utar, voce, mente capti cuiusdam ac furentis clamores, aut suspiria alicuius dolore pressi, aut alacritatem motus tanta laetitia aucti, ut sibi non constet, imitan-

do

f) Cic. de Or. L. II. c. 45. Quae mehercule ego Crasse, (ait Antonius) cum a te tractantur, horrere soleo, tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor, oculis, vultu, gestu digito cum illo tuo significari solet: tamquam est flumen grauiissimum optimorumque verborum, tam integrae sententiae, tam verae, tam noxae, tam sine pigmentis fucque puerili, vt

mihi non solum tu incidere iudicem, sed ipse ordere videaris.

g) Quod enim ornamentum, quae vis, qui animus, quae dignitas illi oratori defuit, qui in causa peroranda non dubitauit excitare reum consularem, et eius diloricare tunicam, et iudicibus cicatrices aduersas senis imperatoris ostendere. De orat. L. II. cap. 28.

B



do exprimi, ut haecce natura ipsa notis insignioribus significare soleat, non debere; si iustum et dignam dicente honestatem seruare velimus, quam homines bene morati omnes, in oratione publica quauis audienda, suo omnino iure postulant. Artis igitur praecepta ratione ipsa nituntur, et eo minus spernenda aut negligenda sunt, cum naturam ad angustiores limites redactam nullo modo depravant, sed plurimum potius venustatis dignitatisque illi adferunt, meliorumque eius cum rebus proponendis similitudinem et convenientiam efficiunt. Oratoris igitur cuiusvis omnino est, siam, quam a natura haber, dicendi agendique consuerudinem ad artis praecepta conformare, emendare, corroborare, quod efficer, si diligenter viderit, cum, quoisque naturae leges in actionis opere progrediantur, tum, quando illius imbecillitati artis ope consuli, praeceptisque vitiis naturae et aberrationibus occurri recte debeat.

§. VIII.

Nec vero artis usum fidelem, hac in re, ipsa, quam ratio, minus suadet experientia. Nec vero omnium, modo publice, in iudiciis, vel de suggestibus sacris, sive domi sive foris, in academiis quoque habendarum, ne scena quidem excepta, sed lectionis etiam, et consuerudinis familiaris, sermonumque adeo vulgarium, ea semper ratio est, ut solam naturae indolem atque impulsum sequi non debeamus. Namque in omnibus iis res nobis cum naturis est ratione praeditis, rebusque ad has omnino pertinentibus, et omnia, ut affectionibus in iis excitandis, nostrisque maxime commotis animis respondeant, dicenda sunt, et felici quasi parvu edenda. Quod et Demostheni ansam dedit, ut omnem eloquentiae vim in actione sitam esse fateretur, et quantum operis posuerit magnus hic orator, ne porro offenderet casas



fas Atheniensium et elegantes aures, in eloquutionis et actionis corrigendis naturae vitiis, quis est, quem fugiat. Oratorum duorum de meritis nobis quidem si iudicandum est, quorum alter, quamvis nitidissime composita et ornata, frigide et sine actionis suauitate, profert, alter eadem, minus quidem eleganter elaborata, oratorio feroore quasi et actionis apte compositae iucunditate, dum dicit, euehit, posteriori huic palmam dare non dubitamus, praeeunte Cicerone, qui actionem in dicendo vnam dominari profitetur, sine qua, ut air, summus orator esse in numero nullo potest: mediocris hac instructus summos saepe superauit. Huius enim elaborationi quod deest, actionis sollertia praestantiaque satis compensatum euangelizare quasi videtur. Quemuis igitur oportet oratorem, qui in oratoria palaestra elucere cupit, adniti, ut vocem gestusque comparet digne, adque artis praecepta accommodet. Tum artis ope studioque nunquam remisso id parabit, quod denerauerit natura, et, ni plura effecerit, huius saltē vitia remouebit.

§. IX.

Quid sit, quarentibus, quod hoc ad conformandam exteriorem eloquentiam tam necessarium, tantoque opere commendatum ab eloquentiae doctoribus, tamque rarum tamen naturae ingenitum, arte emendandum quidem perficiendumque, efficiat, respondemus, *esse in sensu eius, quod verbis dicimus, gestibusque significamus.* Quod non de claris solum et distinctis animi sensis ac notionibus, sed de eius etiam commotionibus aequa valet, cum res aliis ob oculos ponendas commendandasque, ipse, pleno quasi sensu, percipit orator. Quem, in oratore quoquis requirendum, *sensum* quasi *oratorium* diceremus.

§. X.

Quae cum ita sint, animus sonum cuiuis rei accommodatum sponte suppeditabit, ita ut non meram instrumenti speciem



ciem, sonantis vox praebat, sed vel ipsa animi interpres putetur. Tum fiet adeo, ut auditores, actionis suavitate vel ablati, quamvis intuiti, maxime quem audiant oratorem esse, obliuiscantur. Res ipsa est, quae modo blanditiis mitibusque viis in aures eorum animosque influit, modo omni orationis vi actionisque imperu, lenioribus subsidiis si comparare nequeat, aditum ad eos sibi aperit. Et, ut uno complectar, praestantissimum hoc, si in oratore fuerit, naturae ingenium, fidem parabit orationi, difficilius certe impetrandam, quoties eam studio ante confessam adornataque esse aut sciunt, aut suspicantur auditores. Quod sponte sequitur ex iis, quae priore iam disputatione me commemorare memini; eum nempe ipsum rei grauitate veritateque commotum esse debere, qui velit eam ita persuadere et commendare aliorum animis, ut aequem moveantur. Affectiones animi, quae opus sunt ad excitandam vim ac vehementiam, suppeditant: qua in perficienda re, iustum forte transiremus modum; solam naturae indolem et imperum si omnino vellemus consulere et sequi. Hunc vero usum praefat artis institutio, ut hac edocti regamus animum et orationem, et naturae motus intra honestatis et decori fines teneamus. Felix igitur et moderata naturae et artis coniunctio, et illius erga hanc obsequium efficer, ut orator, si rectos et decori praeceptis conuenientes adhibet sonos gestusque, rerum dicendarum sensum quasi et amorem inferat aliis, quod, cum ipse sensu plenus et intime permotus, dicit, non ignem solum vitamque inspirat, sed iustum etiam inter se conuenientiam addit omnibus orationis partibus.

§ XI.

Quo indito cuius ingenio, quo felicius vtamur, eique artis adhibeamus moderationem, animaduertendum diligenter est, quae fiant in nobis, quoties sentiamus amoris, odii, iracun-

iracundiae, tristitiae, indignationis, commiserationis, aliarumque animi affectionum motus, quorum atrent in nobis aliisque comparatione, variam omnium inter se inuicem indolem speciemque intelligemus, sic comparatam, ut quae alteri conueniant, ab altera prorsus aliena reperiuntur. Qua quidem ratione, affectionum illarum vox ut edat sonos signaque, harum habenda est nativa quasi pictura diligenterque expressa, quod eo facilius praestabit, quo minus a vera commotionum harum viuaque indole remota est. Tunc pictura quo verior recessorque facta est, eo melius viuidiusque, vel sui ipsius formam, animus videbitur effingere. Quae animi signa sonosque discas, et vel in potestatem tuam redigas. Id autem quo felicius agas, ut veluti in te ipsum redeas, auctor tibi sim, et animi tui, ut ita loquar, interiora adeas, ex iisque, prima commotionum quarumuis initia et inciatamenta, repetas, et quasi ipsum animum consulas de vera agitationum suarum indole. Qua quidem animi inuestigatione accurate penitusque habita, huiusque vivisstudinibus ad artis disciplinam diligenter elaboratis, fieri omnino nequit, quin, quaecunque in se quis animaduerterit, nisi sensu omni prorsus destitutus sit, omnia feliciter proferat, et, ut vere sunt, vocis gestuumque signis satis apud commodisque exprimat.⁴⁾ Sic fiet ut affectuum, qui in omni actionis operae maxime regnant, maximam et accuratam habeat rationem orator, a quibus, si in oratione cernuntur, ingentia fluunt ad persuadendum commoda. Hi enim signis conspicui, momento solent transire ad auditorem, et huic suum motum adflare, ita ut, qualis adparet orator, efficiatur vere talis auditor. Egregie Horatius de arte poetica v. 206. sq. Si vis me flere, dolendum est primum ipse tibi, tunc tua me infortunia laudent.

B/3

§. XII.

⁴⁾ Cic. Brut. Itaque ille perfectus, animum audiens moueri volet, ita quem iam dudum nostra indicat oratio, vicunque se affectum videri, et certum vocis admouebit sonum.



§ XII.

Eorum igitur reprehendendum institutum omnino est, qui artem admittere nolint, et, quicquid in buccam venerit, contempto omni studio, rusticorum instar, dicere malint. Naturam illi et vim actionis non bene satis intelligent: haec enim omnis ars quid aliud, quam rationis opus est, quod tradit praecepta, ad bene dicendum, ipso vslu, inuenta, eaque, quod er certo fundamento, ipsiusque naturae praescriptio nituntur, optima. Eorum igitur studia, qui ad perfectionis legem venustatisque rationem contenderunt, de ea bene omnino meritorum, haud contemnenda, sed grato animo aestimanda sunt. Hi enim, vt naturam depravarent, aut eius virtutem ac praestantiam vlo modo extinguerent, longe absuerunt, sed huic potius, vt restringerent, artem adiunxerunt, praecepfaque posuerunt, quorum ex vslu recto fructus redirent ad illam conformandam arque redundarent vberissimi. Quos sane percipiet cuius, qui suam ad illam industriam diligentemque et continuam adhibuerit exercitationem. Opus igitur cuius est ad comparandam hanc eloquentiam, et natura, et arte, et exercitatione. Natura enim idoneam exhibet indolem et ad illam quasi natam: ars in praeceptis versatur, exercitatio vtramque coniungit. Natura, quod vulgo dicitur, incipit; ars artificem expolit; exercitatio perficit. Ars naturam adiuuat, format, emendat, et, quod natura non fuerat, naturam facit. Nihil vero potest placere, nisi quod naturae rerum et personarum respondeat, vel, vt vno dicam, quod sit naturale. Quod natura non sola tamen, sed coniuncta cum arte, et exercitatione perfecta, consequimur.

§. XIII.

Nec est, eorum quod in contrarium cumulerentur exempla, qui omnis fere arris rudes, huiusque disciplinae.

nae ignari, nullo magistro, nisi se ipsis, vñi, duceque natura, ad eloquentiae huius dignitatem peruenisse videantur. Hi enim, qui, quae tradi possunt, praecepta omnia et forte plura, sine vlla institutionis ope, sine vlo doctore, et obseruasse et produxisse in lucem suo exemplo, dicuntur, quid aliud fecerunt, quam hoc, vt aliis aliorum adiumentis destituti, ope rationis, artem et praecepta ad rem suam necessaria idoneaque sibi ipsi fingerent, cum quidem ad rem ipsam naturamque, qua gaudebant, perficiendam, mentem intenderent, et aures simul oculosque consulerent. Eriam si vero tantum potuit natura per se sola, idque nonnullis, quod arte quaerendum praecepimus, dedit, quid non adiumenti et, cui locus semper est, incrementi, artis moderatio et clarorum allatura fuerant rhetorum praecepta? Et, si cuncta concedamus iubentes, quid inde? Nonne, quibus tantam copiam facultatemque dicendi natura largita est, paucissimi sunt? Quo vero modo iis consultum ibimus, qui in tribuendis iisdem donis naturam minus fauorem habuisse videntur? Quam artis ope, praeceptis accuratis conformandae, nulla sane alia ratione, efficiemus. Maneant igitur haec in praesidiis nostris.

§. XIV.

Quemadmodum vero non assentimur his, qui admittere artis usum nullum velint, nec eorum tamen probare consilium possumus, qui excedentes omnem modum, nimii in hac arte esse videntur, quod tripli modo fit. Primum enim vitium est eorum, qui velint, res omnes imitando effingereⁱ⁾ ideoque omnem hoc ipso nimio imitandi studio orationis sua- uita-

ⁱ⁾ Quintil. in institut. Lib. XI. c. 3. Alii sunt (gestus) qui res imitatione nas medici similitudine ostendas, quod est genus quam longissime in adione significant, vt si aegrum tentantis ve- fugiendum.



uitatem tollunt. Quamuis quidem multum commendationis actio habeat ea, quae imitatur, quantum fieri potest, naturam, nec omnis imitatio in se sit vituperanda, quae saltim in rebus iis videtur ferenda, quae habent obuiam et eminentem valde significationem, eamque nec dishonestam nec difficulter exprimendam, eadem tamen cum non parum haber offensionis, cum adhibetur in rebus ridiculis iisdemque minus decoris. Quis enim cantabit, quando cantus fit mentio? aut capite demissi sterter, ut dormientem in conspectum producat? Quis denique aegrotum, tentaris medicorum more venis, significabit? Quae quidem omnia histriorum respunt pressam illam imitationem, eandemque ob causam oratore indigna quam maxime habenda sunt.

§. XV.

Pari sane vicio vertenda est, quae per omnem verborum gestuumque seriem regnat, actionis, immoderata omnis et dura nimis, vehementia. Verum quidem si profitemur, hanc, ab omni actionis genere, remouendam, omnino non putamus. Certis enim in rebus, ut stimulus animo admoueamus, illa vel necessario excitanda videtur, e. c. in irae, aemulationis aliarumque commotionum contentione. Omnis autem, sine iusta causa, orationis vehementia animique incitatio, indecora non parum et absurdamente videretur. Quo pertinent omnes nimii, et humanae vocis modum proorsus excedentes, soni, clamores et vociferationes ingentes, quae rebus, quod momenti ipsis forte deest, addere creduntur, quae vero, quacunque cum respiratione simul reperitae, audientium quidem aures obtundunt, lucis vero intelligentiae nihil, nec ullam animo vim adferunt. Sic pulmonum quidem robur valetudinemque indicamus, non autem veras animi perceptiones significamus. Orationi vero



vero iusto vehementiori eiusdem obstat levitas, ex naturae negligentia aequa nata, quae gignit tardiores omnes, molliores et artificiose editos sonos, maioris claritatis suauitatisque species ipsas eneruant magis, quam extollentes. Quae igitur, ut molesta illa sedulitas, corrigenda pariter est. In omnibus rebus semper videndum est, quatenus. Et si enim suus cunque modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum.

§. XVI.

Tertium vero vitium in affectatione positum est, aliis in agendo virtutis, longe deterius. Si quem enim imperitiores vident oratorem, eximia actione illustrem, mox sit, ut eum summum et perfectissimum iudicent, et, licet eodem non sint genio praediti, in omnibus imitandum tamen putent, et sic in affectationis vitium incident. Quod, a quacunque demum causa proficiuntur, vituperandum semper vitandumque quam maxime est. Nec est in omni actione quicquam, quod magis auditorem offendat. Cum enim ipsi satis persuasus non esse orator, aliosque decipere videatur velle, non, nisi maxime intitularis et summo cum taedio, audiet eum, nec fide nulla dignum eundem censem. Quare genus actionis sibi semper sumat orator, quod sibi putat, natura duce, maxime idoneum, et quid deceat, ut in oratione, ita et actione, ipsi accurate videntur; quod et in re, de qua agitur, positum est, et in personis, et eorum, qui dicunt, et eorum, qui audiunt. In quo omnis actionis vis est, de qua plura suo loco praecipiems. Quod si diligenter consideramus, diligentiusque exercemus, facit demum probe exercitars, ut videantur omnia sponte fluere, omnisque opinio artis abesse, ubi nempe in naturam vertiri longa exercitudoque dicendi.

C

§. XVII.



§. XVII.

Tum denique hoc vnum, nunquam omittendum, oratore in primis sacro dignum, addere liceat, quod in eo est orationis omnis vera virtus, quae hominum animos permulceat moueatque. Praecedant eam necesse est ardentes ad Deum processos, de persuadendis mouendisque nostris ipsorum animis, quibus ante motis, ut moueamus alios, facilius multo fiet. Neque sane ratio obscura est, aut longe nimium petita. Id enim, ut amor Dei religionisque verae obsequium animis nostris instillentur, quam oratio cum Deo diligenter reverenterque instituta, quid magis iuuat? Si vero ipse verus Dei amator fuerit orator sacer, ad similem eius amorem, facile quoque alios inflammare poterit. Qui si efficit animi motum gestusque animat, summum est in actione ornamentum, summa vis, summa dignitas. Qui vero si deficit, nec dum animo satis persuasus, qui aliis probabit: *An ille dolebit, ait Quintilianus rhetor VI, 2. qui audit me, cum hoc dicam, non dolentem; irascetur, si nihil ipse, qui in iram concitat idque exigit, simile patiatur: siccis agenti oculis index lacrimas dabit?* Fieri non potest: nec incendit, nisi ignis, nec madescimus, nisi humore, nec res illa dat alteri colorem, quem ipsa non habet. Satis de actione oratoria vniuersale dictum sit. Quae singulatim praecipienda sunt, propter diem sequentur.



ULB Halle
004 057 996

3



v278

56



Miln
307
1928 R 944
L 5, 16
DE
ACTIONE ORATORIA

DISSERTATIONEM ALTERAM

CONSENSV

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

PRO FACVLTATE LEGENDI

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

S V B I I C I T

P R A E S E S

M. GODOFREDVS IACOBVS SCHMID

D E F E N D E N S

C V M R E S P O N D E N T E

IOAN. GOTTL OBIO HENRICO WIEK

DOMITIO MISN. REV. MINIST. CAND.

D. XIII. FEBR. MDCCLXXVI.

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DURRII

ACAD. A TYPEIS

16

1776